



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

68 [i. e. 67] Simonia in collatione per tertium commissa parti eam ignoranti non nocet, nisi quod illam rescians, statim renunciare debet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



fam damni dat, damnum dedisse dicitur: cap. fin. de iniur. siue causa immediata, siue mediata damni fuerit. vt ait S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 7. In penas tamen extrauagantis Pij V. incip. Cum primum non incidit; cum, hac ad mediatores, & procuratores simoniacos non extendatur. ita Nau. in Man. c. 23. num. 105.

## DECISIO LIX.

Ex cons. 58. alias 67.

59 **Q**ui pecunias mediatori dat, vt sibi dimissorias, seu reuendendas ad ordines suscipiendos impetret, quas verè per pecunias mediator impetrat, simoniam committit, & in penas contra simoniacos in ordine latus incurrit. Extr. 2. de simon. Sicut enim simonia in beneficio committitur, cum datur pecunia, vel aliquid temporale pro collatione, nominatione, fauore, intercessione, & alijs similibus actibus ad illud acquirendum directis, ita & simonia in ordine committitur, non solum quando datur pecunia, vel aliud temporale pro pretio ordinis, sed etiam quando datur pro alijs actibus ad eius acquisitionem directis, quales sunt literæ dimissoriae, examinatio, & approbatio, quæ ius quoddam petendi, & accipiendi ordines continent, quod ius per huiusmodi literas datum spirituale quoddam est ad ordinem consequendum directum, qui est magis spiritualis, licet ordinandus emere nolit ordinem, quem inuendibilem, & inestimabilem esse cognoscit, vt ait Nau. in Man. c. 23. num. 99.

## DECISIO LX.

60  
60 95  
Ex cons. 61. (alias) 97.  
73 96

60 **C**ollatio, presentatio, vel electio beneficii per simoniam tam ignorantem facta non est ipso iure nulla, sed annullanda, nec beneficium per simoniam a se ignoratam recipiens excommunicationem incurrit cap. pen. de elect. Is tamen cui beneficium collatum est, postquam hoc sciet, illud renuciare tenetur, & fructus extantes restituere, non autem bona fide ante simoniae notitiam consumptos. ca. ex insinuatione de simon. S. Thom. 2. 2. q. 100. ar. 6. ad tertium, Nau. in Man. ca. 25. num. 12.

## DECISIO LXI.

61 **R**ecipiens beneficium per simoniam ab alio se ignorante commissam, ad illud renunciandum post eius rei notitiam obligatur, cap. de regularib. & c. ex insinuatione de simon. Quæ renunciatio faciendâ est non in manibus collatoris, sed Episcopi, vel Archiepiscopi, qui est eius superior immediate diatus, & qui iuste possit collatarium inuitum destituere. Non potest autem beneficium sic renunciatum de nouo renunciati conferre, si eius collatio ad eum non pertinet, sed eius collatio fieri ab eo, ad quem illa alias regulariter pertinet, cap. cum ex inuincto de hered. vbi Gloss. Potest tamen Episcopus dispensare, vt renunciati idem beneficium de nouo conferatur. cap. pen. de elect.

## DECISIO LXII.

62 **C**anonici sic ob simoniam se ignorante obtentus, & in manibus superioris renunciatus, si deinde eidem conferatur, collatarius vltimam locum inter Canonicos obtinere, ac alia omnia facere debet, ac si de illo alias prouisus non fuisset, vnde sic prouisus de nouo recipi, de nouo in possessionem mitti, de nouo residendam facere, & in vltimo loco sedere debet: cum beneficium per renunciationem legitimam eius perinde vacat, ac si per mortem vacasset, eamque periculosum, 7. q. 1. ca. suspectum de rescript. in 6. c. quoniam, & c. ex insinuatione de simon. & idem de prouiso per renunciationem legitimam, ac de prouiso per mortem iudicandum est.

## DECISIO LXIII.

63 **R**edimatus scienter per simoniam fit irregularis, siue enim qui, furtim sine licentia, & approbatione

Episcopi, vel excommunicatoris ordinem sumpsit, si præmissa erat excommunicata sententia contra sic ordinem accipientes, irregularis est; cap. 1. de eo qui furti. ordin. ita etiam ordinem per simoniam assumens irregularis erit cum sub pena excommunicationis, & suspensionis lata sententia prohibita sit huiusmodi ordinatio Extr. 8. de simon. vnde sic per simoniam ordinatus, & excommunicatus, & suspensus & irregularis est; vt ait Nau. in Man. cap. 27. nu. 111. simoniacus vero in beneficio solum excommunicatus est, non autem suspensus, aut irregularis. In tali autem irregularitate ex simonia occulta incurfa dispensat Episcopus, siue sciente, siue ignorante episcopo, simonia commissa fuerit, ita Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de ref. Quæ irregularitate per Episcopi dispensationem sublata, in ordine ministrare, & ad superiores ascendere, & beneficia postea canonicè collata retinere potest si nullum aliud impedimentum addit; cum res semel extincta nihil operetur. cap. Ferrum. diut. 50.

## DECISIO LXIV.

Ex consil. 62. alias 72.

64 **L**aicus vacante aliquo beneficio, procurans vt illud cuiusdam clerico conferatur cum peccato, vt ipse dimidium fructuum percipiendorum habeat, simoniam realem committit, si fructui illi a dicto clerico beneficiario soloantur, & vtique ex communicationem incurrit, & collatio illa nulla & irrita censenda est; Nec beneficiarius talis, aut fructus suos facere, aut illos laico dare potest, Quos tamen si laicus ab illo accipiat, eos tanquam male perceptos vel ei qui primo loco præfato beneficiario succedit, vel ipsi ecclesie de cuius fructibus erant, vel Camera Apostolicæ, se cum illa componendo restituere tenetur.

## DECISIO LXV.

Ex cons. 63. alias 62.

65 **I**s, cui Papa pensionem reservat cum obligatione postea soluendi illam alteri, qui ob leges regni, cuius erat beneficium, & super quo illa imponitur, talis pensionis non est capax, obligationem hanc soluendi pensionem pecunie, vel alia re, absque Papæ auctoritate, redimere potest, cum huiusmodi obligatio soluendi pensionem aliquid mere temporale sit, a iure spirituali separatum; pensionem vero reservatam, ita vt beneficium, si per quo posita est, liberum maneat, sine Papæ licentia redimere aequit: eo quod pensio vel ius spirituale est, vel saltem spirituali est annexum: ex Nau. in Man. cap. 23. num. 3. vnde eam sine auctoritate Papæ redimens, simoniam committit, excommunicationem tamen non incurrit, cum hæc non nisi per simoniam in ordine, aut beneficio commissam incurrat pensio autem non est beneficium appellanda DD. in cap. postulat. & cap. ad audientiam. 2. de rescript.

## DECISIO LXVI.

Ex cons. 64. alias 46.

66 **L**itigantes in Rota de beneficio, & inter se conuenientes, vt ei qui causam amitteret alter fructus, & expensas, in quibus condemnandus erat remitteret, vt sic liti, & causa cederet, quæ conuentio postquam Prætorio Rotæ nota, & illi placita fuerit, statim vni eorum possessionis traditio discernitur, simoniam ob dictum pactum, quod Papa inconsulto interunt, commississe non censentur, eo quod satis videtur fuisse a Papa ratificatum, ex hoc quod iudex ab eo datus illud ratum habuerit, & tanti Prætorij auctoritate comprobatum. arg. capit. Nisi essent. de præben.

## DECISIO LXVII.

Ex consil. 65. alias 45.

67 **S**imoniam in collatione beneficii per tertiam personam commissam, parti eam ignorantem, neque quoad peccatum, neque quoad excommunicationem nocet, capit. lam itaque. 1. quest. 4. Sciens tamen aut eam scire debens beneficium renunciare tenetur, capit. ex insinuatione de simon. nisi



nisi Papa, attenta eius ignorantia, & bona fide, illud sibi potest confirmari.

DECISIO LXVIII.

Ex consil. 66. alias 88.

68 **C**um ablatio ordinis, vel usus eius actus sit potestatis spiritualis, & nouimus, de verb. sign. ca. degradatio. de pœnit. in 6. quæ ab episcopatus ordine pendet, non minus quàm eiusdem ordinis collatio, cap. 1. de simon. Episcopus ordinarius pro mercede degradationis aliquid petens simoniacus efficitur: ex Nau. in Man. c. 23. num. 100. Quamuis enim possit quis cogi ad conseruandam piam consuetudinem dari aliquid temporale pro pia sustentatione ministrantis sacramenta, cap. ad Apostolicam. de simon. & ait Conc. Trid. sess. 24. ca. 4. de ref. pro pretio tamen, vel mercede illius actus peti non potest ex Nau. in Man. c. 23. nu. 101. & 102. & omnis talis consuetudo a Conc. Trid. ubi sup. damnatur.

DECISIO LXIX.

Ex consil. 67. alias 87.

69 **E**piscopus ius patronatus, & presentandi ad beneficium pretio alicui concedens, simoniam committit, in excommunicationem tamen contra simoniacos latam ab extrau. 2. de simo. non incurrit: cum hanc solum simoniaci in ordine, aut beneficio incurrant, vt ait Nau. in Man. c. 23. nu. 101. & 111. Ius autem patronatus nec beneficium, nec ordo est, cum eius laicus capax sit, cap. Quod autem, & c. cum dilectus. de iu. patr.

DECISIO LXX.

Ex consil. 68. alias 1. Np. prelati vices suas.

70 **C**onducens, aut emens pecunia vicariatum temporalem Episcopi, vel Rectoris, simoniam committit; extrau. 2. de simo. & c. ne prela. vices suas cum emptio, aut venditio rei spiritualis, vel ei annexæ, qualis est iurisdic. spiritualis, simoniacæ sit, ex Nau. in Man. c. 23. nu. 100. conductor vero talis, vel emptor iurisdictionem, vel officium huiusmodi emptum statim relinquere tenetur; eo quod talis conductio contractus simoniacus, & nullus est, c. Quam pio, 1. q. 2. & c. si de pact. nec nisi eo dimisso absolui potest. Argu. c. si res aliena. 1. q. 6. Quia tamen vicaria spiritualis beneficium non est ex Fel. in c. postulasti. de rescr. excommunicationem ipso iure non incurrit, cum hanc solum simoniacus in ordine, vel beneficio incurrit, vt sentit Nau. in Man. c. 23. num. 111.

DECISIO LXXI.

Ex consil. 69. alias 44.

71 **L**itigantibus duobus super beneficio, si vnus eorum secrete cum quibusdam amicis alterius conueniat, altero non consentiente, vt vnus eorum cedat iuri suo, si quod habet, & alter summam quandam pecunie soluat; qui tamen ad epta possessione prædictas pecunias cedenti soluere nolit, sed eas amici eius postea soluit; huiusmodi concordiam facientes simoniam realem ex vtraque parte completam, accipiendo, & soluendo pecunias pro re spirituali committunt ex Nau. in Man. c. 23. nu. 109. & excommunicationem incurunt, & irregularitatem si celebrant; pecunia vero Ecclesie, cui facta est iniuria, restituenda est, c. de hoc. de simo. & talis concordia nullius valoris est, & absolutio a simonia præfata per Datarium Papæ quoad forum exterius fieri debet, ita vt Pœnitentiarius quoad illud forum, absoluedi facultatem non habeat, sed solum quoad forum interius. Alter vero qui non consentit, tuta conscientia beneficium possidet, nec pecunias dictas soluere debet.

DECISIO LXXII.

Ex consil. 70. alias 38.

72 **P**resbyter regularis, qui a suo Abbate de quodam officio in Ecclesia sui Monasterij promissus est, quod per aliquot annos pacifice possidet, & ab Abbate successore coactus, illud in manibus eius renunciat, cum pacto quod dictus Abbas cum de alio Monasterij illius officio providebit, quod

cum effectu postmodum facit, quod idem officium per aliquot annos pacifice possidens, ab alio Abbate successore inquietatus, ne officio priuetur, & sine officio diffamatus maneat, dicto Abbati pecunias dat; quamuis sic renuncians beneficium ecclesiasticum regulare cura pacto de danda sibi compensa sufficienti, quam postea accepit, simoniam realem committat; alteri tamen Abbati dando pecunias ne super officio secundo in recompensationem accepto inquietetur, nullam simoniam admittit; cum post acceptam possessionem pacifice retentam, vexationem iniustam redimere licitum sit; cap. dilectus, 2. de simon. officium autem illud secundum iniuste retinet quidem ob pecunias datas, sed quia illud in compensationem prioris beneficii virtute pacti simoniace, male accepit, per quam acceptioqem simoniam realem ab vtraque parte completam commisit; ex Nau. in Man. c. 23. nu. 100. præsertim cum iure communi Abbas superior officijs, quæ illis conferit, ad numerum etiam sine causa iusta, Monachos suos prius re possit, cap. cum ad monasterium, §. tales. de stat. monach.

DECISIO LXXIII.

Ex consil. 71. alias 86.

73 **Q**ui pro admissione ad habitum religionis aliquid dat, vel accipit, simoniam ex eo committit, quod d. ingressus Monasterij quidam spirituale sit, quoniam de reg. & c. ex insinuatione. de simon. ipsa etiam datus, & acceptio habitus, vel aliquid spirituale est, vel saltem spirituali annexum, cum hæc de laico ecclesiasticum faciat, adeo vt eum percipiens excommunicationem incurrit, ca. religiosus, §. 1. de sent. excommun. in 6. & proinde tales dantes, & accipientes pecunias pro ingressu religionis simoniam realem committunt, & habitum suscipiens eum relinquere tenetur; potest tamen dimisso habitu, & purgata simonia de nouo redipi, si receptio non fuerit scandalosa.

DECISIO LXXIV.

Ex consil. 72. alias 7.

74 **E**piscopus, qui Archipresbyterum conijcit in carcerem, & ubi, & mortuus est, & pro eius victu viginti aureos expendit quem Archipresbyterum alteri confert, sed ante collationem illi dixit, ego feci tot expensas pro alendo prædecessorem tuum coniectum in carcerem, dabo tibi hoc beneficium, & tu ex fructibus ipsius dabis mihi viginti aureos, quos idem Archipresbyter electus postea soluit; quamuis in foro conscientie simoniacus iudicandus non sit, quia non erant principaliter dati pro beneficio, sed pro impensis factis in alendo beneficiario mortuo, cuius morte beneficium vacauit, ex Nau. in Man. c. 23. num. 102. & 103. in foro tamen exteriori simoniam commisisse iudicabitur, cui iuste præsumi possit prædictam pecuniam ad beneficii conferendum principaliter data, & accepta esse, arg. c. 1. de simo.

DECISIO LXXV.

Ex consil. 73. alias 96.

75 **C**lericus bona fide, ignarus de simonia per meditationem commissa, beneficium impetrans, habita de simonia notitia beneficium illud relinquere tenetur, & non indiget collatione eiusdem; cum prior ob simoniam commissam nulla, & irrita fuerit, cap. quicunque, ca. præsertim, 1. q. 5. & c. de simoniace. & c. de regularib. de simon.

DECISIO LXXVI.

Ex consil. 74. 75. alias 28. 29.

76 **R**esignans, & resignatus conuenientes, vt exprimatut maior valor beneficii, quam verè sit, vt sic resignatione consecuta maior pensio à Papa constituatur, quam constituta fuisset, si valor verus expressus fuisset, quamuis ita mentiendo mortaliter peccent, dictaque expressio dolosa falsitatis gratiam sciat surreptitiam, & per consequens nullam; c. super literis. de rescrip. & ca. et si legib. 2. q. 2. simoniam tamen non committunt; Non enim omnis conuentio circa beneficia simonia est, sed illa sola, quæ principaliter dationem